



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

29 Parochiales jurispatronatus, quando à Papa conserantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

modo liber, & quandoctunque vacantia, etiam devoluta, & reservata conferendi.

22 Undecimò omnia ¶ beneficia ecclesiastica secularia, & quorumvis ordinum, etiam S. Joannis Hierosolymitani, & aliarum quarumvis militiarum regularia quæcunque, & qualiacunque sint propter crimen hæresis vacantia, *cap. ad abolendam, de hæret.* de quibus in impetratione specialiter, & dispositive modus vacationis propter crimen hæresis exprimi debet, Pius V. cum ex Apost. latus, *constit. 29.* & Greg. XIII. *constit. 68. in Ecclesiis.*

23 Conceditur tamen ¶ hæretico quandoque retentio beneficiorum, si errorem suum agnoscendo, abjuret, *d. cap. ad abolendam.* & ibi Abb. num. 5. *cap. excommunicamus eod. tit. num. 10.* & Felin. *d. cap. ad abolendam, num. 2.* & cum sit speciale, quod in crimine hæresis liceat poenitere, quod in aliis criminibus regulariter non est permittum, in foro fori scilicet, *l. qui ea mente. ff. de furt. & l. penul. ff. de vi bon. rapt.* debet statim in hæresi deprehensus paratus esse sponte sua hæresim abjurare, *d. cap. ad abolendam,* & ibi Felin. & Gril. in tract. de hæret. *l. 1. q. 5. num. 3.*

24 Duodecimò beneficia ¶ quæcunque cujuscunque qualitatibus existentia, quæ in confidentiam retinentur, si tamen retineri in confidentiam hodie possunt etiam si de jure patronatus laicorum, etiam illustrium, existant, Pius IV. *constit. 109.* Romanum Pontificem.

25 Decimotertiò vacantia ¶ ob non publicationem resignationum, ut in Bull. Rom. Greg. XIII. *constit. 87.*

Decimoquartò parochiales, ¶ quæ ab

ordinariis collatoribus, forma concilii Tridentini non servata, conferuntur, *cap. 18. de reform. sess. 24.* quæ provisus jus, aut titulum, etiam possidendi, non tribuunt coloratum, & Pius V. *constit. 23. in conferendu.*

27 Decimoquintò parochiales ¶ ad collationem Ordinariorum, de quibus intra sex menses non providerunt, & in mensibus sedi Apostolicæ reservatis ¶ intra quatuor menses à die vacationis, concursum ad Romanam curiam pro litteris Apostolicis expediendis non transmiserunt, de quibus tunc sine concursu auctoritate Apostolica providetur, *ut in eadem constit. 32.*

Decimosextò, quæ de ¶ jure patronatus existunt, si præsentatus intra tempus patronis à jure præfixum, prævio examine juxta formam dicti concilii approbatus, petatur institui, institutioque ipsa per duos menses à die præsentationis dilata fuerit, *ut in eadem constit. Pii V. 32.* In conferendis: id tamen habet locum cessante omni legitimo impedimento, quia, si propter litem inter compatronos, vel inter plures præsentatos ad institutionem intra duos menses legitime deveniri non potest, tunc cessat devolutio, & reservatio, quia non currit tempus ei, qui litigat. Bart. in *auth. si tamen, num. 1. c. de temp. appell.*

Decimoseptimò omnia ¶ beneficia ultra sex mensium spatium a die scientiæ Ordinariorum collatorum vacantia, *ut in cap. 2. de concess. præb.* quia collatio devolvitur ad superiorem, *cap. cum nostris, & cap. cum litteras, de concess. præb. cap. unic. vers. porro ut eccles. benef. sine diminut. ces. & Rebus.*